

QUÆSTIO. III.

DE SIMPLICITATE DEI.

SUMMA TEXTUS TOTIUS QUÆSTIONIS.

Circa simplicitatem Dei explicandam discurrit D. Thomas per omnes modos, quibus potest in Deo imaginari compositio tam in se, quam in ordine ad alia, cum quibus componat, et omnes illos excludit a Deo. Omnis autem compositio, quæ potest inveniri, vel est ex partibus integralibus, et quantitativis vel ex physicis, ut ex materia, et forma, vel ex natura, et subsistentia, vel ex essentia, et existentia, quæ omnes compositiones pertinent ad substantiam rei, et realiter etiam fiunt. Vel est compositio metaphysica ex genere et differentia, quæ per rationem perficitur, licet fundamentaliter in re inveniatur. Vel denique est compositio rei cum aliquo extra se v. g. cum accidentibus vel modis, quæ recipit, vel cum aliis rebus, quibus coordinatur. Ex his enim omnibus pendet cognitio simplicitatis divinæ, quæ plene cognosci non potest, nisi cognita etiam compositione creaturæ, quæ tot modis multiplicatur, et omnes illos modos negat divina simplicitas.

Igitur in primo articulo ostendit D. Thomas Deum non esse corpus loquendo quidem de corpore physico, quale nos experimur in hoc universo, quia tale corpus non movet nisi motum, Deus autem est omnino immobilis. Loquendo vero de corpore mathematico, quia quantitas est divisibilis in partes, et sic includit potentiam, ut dividatur, Deus vero omnem potentiam excludit. Similiter ubi sunt partes est totum, et omne totum est majus sua parte, in Deo autem non est aliquid majus, neque aliquid minus, quia sic non esset actus purus, et perfectissimus, quod enim est minus non esset ita perfectum. Loquendo denique de corpore metaphysico, quia corpus ex genere corporis non est ens nobilissimum, cum inveniatur in entibus magis vilibus, et spiritus ex se est nobilior corpore, Deus autem ex suo genere est nobilissimum, et supremum ens.

In articulo secundo probat D. Thomas Deum non componi ex materia, et forma, ex parte quidem materiæ, quia materia est potentia, Deus autem actus purus, omni potentialitate carens. Ex parte vero formæ, quia forma componens cum materia non est prima forma, et actus purus, sed forma participata. Est enim forma conveniens materiæ, et limitata ad illam et simul cum materia, componens tamquam pars, ergo per illam non constituitur aliquid, quod se toto sit forma, et se toto sit agens, sed mediante participatione formæ in materia, ergo neque redditur primum agens, et prima forma, seu pura forma, sed mixta materiæ, ergo neque est actus purus talis forma, id est, segregata ab omni potentialitate.

In articulo tertio probat D. Thomas non componi Deum ex supposito, et natura, seu ex quo, et quod est, ita quod sicut non est forma partialis respiciens materiam ut partem, ita nec sit forma totalis respiciens subsis-

tentiam, ut complementum, cum quo componat. Rationem vero, quam reddit D. Thomas quia valde profunda est, et difficilis in sequenti disputatione discutiemus.

In articulo quarto probat D. Thomas Deum non componi ex ipso esse, seu existentia, et essentia, quæ est subjectum existentia, eo quod esse non advenit accidentaliter Deo, nec participative ab alio, cum sit primum ens, et non ens per participationem. Ergo non potest existentia distingui ab illo, et consequenter neque componere cum illo. Hæc ratio etiam examinabitur sequenti disputatione.

In articulo quinto probat D. Thomas Deum non componi ex genere, et differentia, quia cum sit actus purus caret omni potentialitate, genus autem habet se, ut contrahibile, et determinabile per differentiam, differentia autem, ut actuans, et contrahens potentialitatem. Ergo caret genere, et differentia. De hoc etiam agemus disputatione sequenti.

In articulo sexto probat Deum carere omni compositione accidentium, tum ex parte subjecti, quia subjectum accidentium est in potentia ad illa, ut ad formas actuantes. Deus autem caret totaliter potentia, tum ex parte accidentium, quia sunt formæ causatæ ex propriis principiis subjecti, vel participatæ ab aliquo extrinseco, et inhærentes subjecto, quod totum est formæ imperfectæ, et non convenit actui puro.

In articulo septimo colligit D. Thomas Deum esse omnino simplicem, et nullo modo compositum, alias daretur in eo prius et posterius, majus et minus, potentia et actus, eo quod partes sunt priores toto, et totum est posterius, et omne totum est majus sua parte, et partes non componunt, neque conjunguntur in unum, nisi habendo se per modum potentia, et actus.

In articulo octavo ostendit Div. Thomas Deum non esse simplicem per modum partis, sed per modum totius, et perfecti, et sic non componere cum alio, eo quod est primum ens, et actus purus, quod autem componit cum altero habet se, ut pars, et consequenter est minor toto, et totum est perfectius parte, nihil autem est majus, et perfectius Deo.

DISPUTATIO IV.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SIMPLICITATE DEI, ET COMPOSITIONE
CREATURÆ.

Utrum subsistentia, et natura distinguantur in omni creatura, et quomodo?

In hac disputatione solum de his agemus, quæ difficultatem aliquam specialem habent in compositione creaturæ, et in simplicitate Dei, sicut est compositio subsistentia, et existentia, generis, et differentia, reliqui enim modi compositionis difficultate vacant; nec de illis sunt speciales controversiæ in præsentia. Ad hæc autem explicanda oportet ex his, quæ in primophysicorum quæst. VII circa existentiam, et subsistentiam diximus, aliqua in præsentia prælibare.

I. In substantiis præter singularitatem, et individuationem dari subsistentiam, constat tum ex his, quæ docet fides, tum ex his, quæ discursu naturali cognoscimus. Ex fide quidem in nobis manifestavit mysterium incarnationis, et Trinitatis, nam in mysterio incarnationis fide constat naturam humanam esse in Christo, et non esse personam humanam, sed divinam, et talis natura humana assumpta in universali, sed in singulari, nec unitas illa singularis ei tribuitur a Verbo, sed supponitur natura esse una realiter, sicut est ens realiter,

unitas autem realis singularis est, quia a parte rei non potest dari, nisi aliquid singulare, distinguitur ergo singularitas a personalitate. Similiter in Deo multiplicantur realiter Personæ non multiplicata singularitate naturæ. Ergo ratio singularitatis, et personalitatis, diversimode se habet in Deo, et multo magis distinguuntur in creaturis.

II. Ex effectibus naturalibus idem etiam colligi potest. Primo, quia singularitas est communis etiam accidentibus, datur enim hæc albedo, et hæc nigredo, et hæc quantitas, subsistentia autem solum convenit substantiis: ergo ex suo conceptu non est idem singularitas, et subsistentia. Secundo, quia subsistentia reddit rem substantem, et sustentantem alia, et in se existentem sine indigentia ulterioris communicationis ad aliud substans, et sustentans, quod non facit sola individuatio, et singularitas, ut patet in singularibus accidentium. Et ratio est, quia singularitas solum opponitur universalitati, et naturam reddit contractam, et incommunicabilem aliis inferioribus, subsistentia autem non opponitur directe universalitati, sed inhærentiæ, redditque naturam incommunicabilem ulteriori termino, ut sustentanti, et substanti illi, ita quod subsistentia tollit dependentiam in existendo ab ulteriori termino, seu subjecto, quam ponit inhærentia. Et licet hoc non nisi in singularibus possit inveniri, quia solum illa possunt habere esse, tamen diversas formalitates explicant singularitas, et subsistentia, licet utraque incommunicabilis sit, quia incommunicabilitas singularitatis est respectu inferiorum, ne contrahatur per illa: incommunicabilitas subsistentiæ est respectu termini ulterioris, ne sustentetur ab illo et subsistet illi in existendo. Itaque subsistentia, et natura considerantur sicut

quantitas, et punctum, quantitas enim v. g. linea componitur ex partibus, terminatur autem puncto, quod est aliquid superadditum partibus, ita subsistentia non se habet, ut pars componens substantiam, sed ut terminus reddens illam in se stantem, et incommunicabilem in existendo.

III. Et licet plura, quæ pertinent ad subsistentiam tractari soleant in materia de Trinitate et incarnatione, oportet tamen in præsentia ea attingere, quæ possunt esse fundamentum ad intelligenda ea, quæ postea in præfatis materiis tractantur. Et præsertim, quia in præsentia urgent intelligentia D. Thomæ in hoc articulo tertio circa distinctionem subsistentiæ a natura in his, quæ non sunt composita ex materia, et forma. Et ideo in hoc articulo tria agemus. Primum, unde constet distinguere subsistentiam a natura. Secundum, an subsistentia addat aliquid positum supra naturam, quod sit modus, vel res, inde enim dependet investigatio hujus compositionis ex natura, et subsistentia. Tertium, quomodo intelligatur D. Thomas cum in hoc articulo tertio videtur negare distinctionem subsistentiæ, et naturæ in simplicibus.

Prima difficultas.

IV. Constat ex dictis dari subsistentiam in naturis substantialibus. Et loquendo in genere etiam constat debere distinguere subsistentiam a natura sive sit aliquid negativum, sive positivum, de quo postea. Hoc enim manifestavit nobis mysterium incarnationis, in quo a divina Persona assumpta est humana natura sine subsistentia, et personalitate propria, cum sit de fide in Christo non esse personam creatam, sed solum divinam, in qua subsistit humana

natura. Nec potest dici, quod in natura humana assumpta remanet personalitas creata quantum ad entitatem, licet non quoad effectum, seu denominationem, quia ab alia superiori personalitate prævenitur, quæ assumendo ad se naturam non permittit entitatem illam subsistentiæ creatæ reddere naturam in se substantem, et existentem, sed in alio. Contra enim est, quia alias in re daretur in Christo persona creata entitative, et quantum ad realitatem ejus, si autem tota realitas personæ est in natura, ergo Verbum non solum assumpsit naturam, sed etiam personam, quia totam realitatem personæ assumpsisset, quod negat Augustinus in libro de fide ad Petrum, et probat D. Thomas III par. qu. IV, artic. II et qu. II, artic. III, sicque realiter, et entitative in Christo essent duæ personæ, licet ab una solum fieret denominatio, scilicet a divina, quæ principalior est. Dicitur autem in quinta Synodo generali canone quinto quod si quis introducere conetur in mysterio Christi duas subsistentias, seu duas personas anathema sit. Constat autem, quod qui poneret totam entitatem personæ creatæ in Christo assumptam a Persona divina, quod introducere conaretur duas personas, solum enim fatetur esse unam quantum ad denominationem, quia dignior, et principalior est. Hoc autem non negavit Nestorius, qui duas personas posuit in Christo; sed dixit secundum dignitatem fuisse factam unionem in persona principali. Quare fides incarnationis satis nobis manifestavit distinguere debere personalitatem a natura.

V. Dubium autem est, an remota cognitione hujus mysterii, ex principiis naturæ deducatur hæc distinctio inter subsistentiam, et naturam. Multi enim existimant Aristotelem non cognovisse distinctionem

suppositi a natura, sed ipsam naturam esse id quod operatur, licet enim dixerit animam non operari, sed hominem, nusquam tamen id dixit de humanitate, neque dixit actiones esse suppositorum, sed singularium, id est, circa singularia versari, in hoc enim sensu loquebatur ibi in III metaphysicæ.

VI. Nihilominus licet res ista non sit tanti momenti, tamen quod attinet ad philosophum, ipsum distinxisse suppositum a natura attribuisseque actiones suppositis et non solum singularibus, sentit expresse D. Thomas, nam in quodlib. II, artic. IV, inquit: « Quod hanc quæstionem an suppositum sit idem essentiæ, vel naturæ movet philosophus in VII metaphysicæ, tex. XXI. ubi inquit utrum sit idem unumquodque, et quod quid est ejus, et determinat, quod in his quæ dicuntur per se idem est res, et quod quid rei, in his autem, quæ dicuntur per accidens non est idem, homo enim nihil est aliud quam quod quid est hominis, nihil enim aliud significat homo quam animal gressibile bipes, sed res alba non est idem omnino ei quod quid est album, quod scilicet significatur nomine albi, nam album nihil significat nisi qualitatem, ut dicitur in prædicamentis, res autem alba substantiæ habens qualitatem. Secundum hoc ergo cuicumque potest aliquid accidere, quod non sit de ratione sua in eo differt res, et quod quid est sive suppositum, et natura. » Ita D. Thomas. Sentit ergo quod philosophus solum in his, quæ per se, et essentialiter dicuntur, ita quod non includunt aliquod accidens, non distinxit suppositum a natura, bene tamen si natura aliqua vel substantia recipiat accidentia. Item philosophus, in capite de substantia dicit: « Quod est proprium quarto modo substantiæ recipere contraria seu substare accidentibus. »

Ergo hoc quod est esse substans, vel subsistens est extra quidditatem substantiæ, cum sit proprietas ejus. Similiter intellexit Div. Thomas quod secundum philosophum, actiones sunt suppositorum cum dicit III par. quæst. xx, art. I ad II: « Quod agere non attribuitur naturæ, ut agenti, sed personæ, actus enim suppositorum sunt, et singularium secundum philosophum. » Intellexit ergo D. Thomas philosophum cum dixit actiones esse singularium locutum esse de suppositis.

VII. Ratio etiam philosophi idem ostendit, quia in VII metaphy. text. xxvii, dicit formam non generari, sed compositum, quia compositum est hoc aliquid, ubi per ly hoc aliquid specialem singularitatem attribuit, tam composito quam formæ, vel materiæ. Hæc autem singularitas compositi est singularitas subsistentiæ, seu suppositi, nam singularitas communiter dicta prout invenitur in forma, et natura, non est singularitas quæ constituit terminum generationis, sed ad generationem requiritur illa singularitas compositi, qua dicitur hoc aliquid, dicit enim philosophus, non generari formam, sed compositum quia compositum est hoc aliquid, ergo aliqua specialis singularitas invenitur a philosopho in ipso composito, quæ non in forma, scilicet singularitas quæ potest dici hoc aliquid, sed non solum forma partialis v. g. anima, sed etiam forma totalis v. g. humanitas habet singularitatem, et non est hoc aliquid, quia natura v. g. humanitas est id quo homo est hoc aliquid, est enim id quo homo est homo sicut albedo est id quo aliquid est album; ergo singularitas humanitatis non est singularitas qua dicitur hoc aliquid, sed est sicut singularitas formæ, seu animæ; ergo præter singularitatem naturæ v. g. humanitatis spe-

cialem aliam singularitatem agnoscit. Aristoteles qua dicitur hoc aliquid, seu suppositum, et hæc sufficit, ut aliquid dicatur generari quod non sufficit formæ, quia forma, ut ibi dicit non generatur; ergo neque humanitas quæ se habet ut forma, ita quod non est hoc aliquid. Unde ulterius colligimus quod quando dicit Aristoteles I de anima, textu LXIV, quod anima nec ædificat, nec irascitur, sed homo; idem prorsus dicendum est de humanitate, quia currit eadem ratio, si quidem humanitas est forma qua homo, sicut anima est id quo anima est animatum: ideo autem anima non ædificat sed homo, quia est id quo constituitur homo, ergo similiter non dicitur quod humanitas ædificat, sed homo, quia humanitas est id quo homo est homo et quo est hoc aliquid, et sic non conveniet ei facere, seu operari, nisi ut quo, sicut etiam animæ convenit operari ut quo. Restat ergo, quod neque forma totalis sit suppositum, neque eo modo detur singularitas in illis, sicut in supposito licet re vera singulares, et individue formæ sint, quia forma est singularis ut quo, suppositum autem ut quod.

VIII. Hæc ad Aristotelem. Quod ad rem ipsam attinet communiter constat inter omnes, subsistentiam distingui a natura, sed non ita constat, nec facile est explicare rationes, quibus id probavit D. Thomas. Est autem duplex; prima pro compositis, ex materia, et forma, secunda est universalis pro omni natura creata etiamsi careat materia physica, sicut sunt Angeli. Prima ratione utitur D. Thomas in præsentis quæstione, articulo III. Secunda vero utitur quodlibet II art. IV et III part. qu. II, artic. II. Et prima ratio fundatur in illa consequentia, quia principia individuationis, et ipsa individuatio in compositis ex

materia, et forma non sunt de intrinseco conceptu quidditatis, ergo neque terminus, et complementum talis individuationis est idem cum natura, et quidditate, sed distinguitur ab illa. Consequentia probatur, quia subsistentia, et supposititas dicit individuationem, ut completam, et terminatam, ideo enim ut advertit D. Thomas III part. quæst. II, art. III ad II et I par. quæst. XXIX, art. I ad II, et multis aliis locis, hypostasis, seu suppositum significat substantiam particularem, non quomodocumque, sed prout est in suo complemento, et sic non convenit parti, sed toti, importat ergo subsistentia individuationem substantiæ, ut completam, et terminatam, ergo in illa natura in qua individuat, et ejus principia sunt extra naturam, ab illo distinguitur etiam et terminus, seu complementum talis individuationis, nec potest pertinere ad conceptum naturæ, sed extra illam est, et tamen realiter illi convenit, ergo in re est aliquid distinctum, et superadditum illi. Sicut similiter esse existentia ponitur a D. Thoma distinctum ab essentia, ut infra dicemus, eo quod realiter convenit essentia, et non ut prædicatum intrinsecum, sed contingens, ergo ut distinctum. Antecedens vero scilicet quod principia individuationis, et ipsa individuatio sint extra conceptum naturæ materialis sæpe affirmatur a D. Thoma, quia in homine istæ carnes, et ista ossa, qualia inveniuntur in Petro v. g. non sunt de conceptu, et quidditate hominis secundum se, alias etiam convenirent Paulo, et aliis individuis. Unde in naturis materialibus videmus multiplicari individua substantialiter, et non quidditative, et essentialiter, ergo oportet, quod talis individuatio multiplicabilis, et principia, a quibus desumitur sint extra conceptum, et quidditatem naturæ prout

latius tradidimus ex mente Divi Thomæ in libro de generat. quæst. IX, art. III et IV. Et sic constat, quod sicut principia individuantia sunt extra conceptum, et quidditatem naturæ materialis, sic etiam terminus, et complementum ejus, quod est subsistentia.

IX. Secunda ratio Div. Thomæ procedit generaliter in omni natura creata, etiamsi in illa principia individuantia non distinguantur a principiis formalibus naturæ et speciei, sicut in Angelis. Et fundatur in officio sustentandi, et substandi accidentibus, quod proprie convenit ratione substantiæ. Igitur consequentia consistit in hoc, quod sustentatio, et ordo ad talia accidentia non pertinet ad quidditatem naturæ; ergo id ratione cujus redditur natura substans, et sustentans, ac recipiens ista extrinseca accidentia debet esse extra quidditatem, et naturam substantiæ, tamquam terminus, et complementum illius. Et vis istius consequentiæ stat in hoc, quod substantia capax accidentium non potest illa recipere, et unire in ipsa formali ratione naturæ, et intra ejus conceptum, quia hoc ipso quod uniuntur tamquam accidentia, uniri debent ut impermixta, et inconfusa cum ipsa natura substantiali, si quidem stat accidentia mutari, et tolli, ipsa natura invariata manente, ergo necesse est dari aliquid extra quidditatem talis naturæ tamquam tertium, in quo recipiatur, et sustentetur sine confusione, et permixtione natura substantialis, et ipsum accidens.

X. Hæc consequentia valde difficilis visa est multis præsertim patri Suarez, disp. xxxiv, met. sect. III, nu. xii, et ponit difficultatem in eo quod ista accidentia quorum natura est capax non sunt id, quo suppositum distinguitur a natura cum subsistentia non constituatur per acci-